



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. De obligatione mutua coniugum ad usum , seu actum conjugalem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

perem & indotatam duxerit, alere eam tenetur, etiam si nullo fructus dotis percipiat; sicuti etiam uxor dives maritum pauperem alere debet, uti ratio naturalis etiam probat.

Ad filios tamen ex se natos, si indigeant, sustentandos, & pie ac honeste educandos, uterque parens tenetur, uti ex Apostolo etiam patet ad Ephes. c. 6. & 1. ad Corinth. 12. maxime pater, qui est caput familiae, ita ut obligatio hac ob inopiam parentum ad avos etiam paternos, & maternos transire possit; & cura illegitimae proles alendae primo trinio matri competat: & quamvis jus Civile hac in materia rigidius videatur loqui, prohibens alimenta praebere à parentibus,

spuriis, seu ex damnato coitu natis *Authen. Ex complexu. Cod. de incestis nuptiis, &c.* mitius tamen est jus Canonicum, rigorem juris Civilis corrigens, ita ut juxta illud parentes quicumque filii etiam illegitimis alimenta moderata praestare debeant. c. *Cum haberet 5. De eo qui duxit, &c.*

## §. II.

De obligatione mutua conjugum ad usum, seu actum conjugalem.

Satis multa de hac materia, quae tota prope ad forum conscientiae pertinet, agunt Theologi Morales, qui passim consuli possunt.

## TITVLVS II.

## DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

## §. I.

Qua aetas requiratur ad sponsalia de futuro?

AD contrahenda sponsalia de futuro requiruntur septem anni completi, tam in maribus, quam in feminis, prout sumitur ex c. *Liberas 4. & c. Accessit 5. h. 1.* ob usum rationis, communiter cum hac aetate plenum; & hinc non tantum juxta L. *In sponsalibus 14. ff. De sponsalibus*. si in tali aetate usus rationis non habeatur, nulla erunt sponsalia, ob defectum usus rationis, sed etiam, si septennium nondum completum sit (nisi

*Compend. Pirking.*

malitia suppleat aetatem) quamvis una tantum dies deesset, ita tamen, ut in favorem matrimonii ultima septennii dies inchoata habeatur pro completa. *argum. L. à qua aetate 5. ff. Qui testamenta facere possunt.* & quae ante septennium completum nulla fuerunt, ita, ut nec impedimentum publicae honestatis produxerint, rata sint, si post septennium completum expressè, vel tacite ratificentur.

—\*—\*—

Pppp

§. II.